



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Ioannis Ioviani Pontani. De Aspiratione Libri duo. Charon  
Dialogus. Antonivs Dialogus. Activs Dialogus. Aegidivs  
Dialogus. Asinvs Dialogus. De Sermone Libri Sex. Belli,  
Qvod Ferdinandvs Senior ...**

**Pontano, Giovanni Giovano**

**Venetiis, 1519**

Vrbanitatem, ac ueritatem merito laudari.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-12960**

animus, atq; inter molestias iocus. Natura enim duce ad quietem trahimur, ac uoluptatem. Nam & a regibus, & bene constitutis populis, & a Romanis præcipue gentium dominis ludi fieri, diuersi etiam generis instituti, quibus spectandis tum populus uniuersus, tum magistratus ipsi relaxarentur quotidianis a laboribus, negotijsq; susceptis & priuatim & publice. Quando & fossores, & qui cædendis exercentur lapidibus, & iocæ inter se funditant, oblectandi gratia, & illa ubi desuerint, tantu laborem mulcent, leniuntq; erummas. Vnde & recte, & naturaliter ab equite Romano, eodemq; Poëta suauissimo dictum est.

*Crura sonant ferro, sed canit inter opus.*

*Urbanitatem, ac ueritatem merito laudari.*

**M**erito igitur laudatur urbanitas, expetiturq; a plerisque urbanorum, ac facitorum hominum consuetudo, ac familiaritas. Et q̄a tractandis rebus, atq; administrandis, ratio recta præsidet, cuius maxime amica est ueritas, proinde a quibus ea colitur, ij et commendantur ab omnibus, et summo habentur in pretio. Ad hoc autē tū ueri, tū iucundi studiū, motusq; circa ea animorū, atq; affectus, moderatio ubi accesserit, eaq; quæ mediocritas dicitur, existent illico quæ & uiris bonis, & ciuibus ingenuis dignæ, & suo etiam utraq; nomine uocata est uirtus, altera quidem, quæ susceptorum laborū honestum sit leuamen, relaxatioq; maxime laudabilis a curis, ac molestijs, altera uero quæ hominem ipsum ita constituat, ut per eam constet humana conciliatio, uigeatq; in ciuitate fides, penes quam actionum nostrarum omnium, ac negotiationum uinculum existat, ac promissorum, dictorumq; observatio. Quod ita esse nobis innuit Christus & deus idem, & homo, cum ueritatem se se esse professus est. Verum cum ipsis è uirtutibus aliæ uersentur aut in eroganda pecunia, aut in obeundis periculis, aliæ in moderandis uoluptatibus, aut in reddendo quod suum est, cuiq; alijsq; atq; alijs aliæ, nomineq; singulæ appellentur suo, hæ quidem duæ, quæ tum ueritatem in dicendo, tum leporem sequuntur, circa orationem tantum operam suam conferunt, uerbaq; sibi perinde, ac materiam subministrant. Et alteri quidem quæ relaxationem querit ab laboribus ac molestijs maiores nostri nomen fecere Urbanitati, & qui ea præditus esset, nunc Urbanum dixere, nunc uero aut Facetum, aut Comem-

*Vnde Urbani dicti sunt, ac Faceti.*

**E**t Urbanos quidem uocauere, quod ij oratione uterentur, & aue, et eo

AA ij